

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Heinrich Jacob Froriep

Dissertatio Philosophica De Anima Hominis An eius Spiritualitas, Immortalitas, & Indivisibilitas, ex lumine naturae de monstrari possit

Rostochii: Wepplingius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732467411>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil 1698

J. N. F.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

ANIMA HOMINIS

An ejus Spiritualitas, Immortalitas,
& Indivisibilitas, ex lumine naturæ
de monstrari possit.

Quam

Consensu Inclytæ Facultatis Philosophicæ, in
Celeberrima Rostochiensium Academia, publicæ
ac placidæ disquisitioni subjiciunt

PRÆ SES

M. CHRISTOPHORUS
HEINRICI
ET RESPONDENS

JACOBUS FROREIF SedinoPom.

AD D. A.O.R. 1698. IN AUDITORIO MAJORI
Hor Consvet.



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEBPLINGII, Univ. Typogr.

Reverendo Ministerio SEDINENSI
DOMINO SUPERINTENDENTI, PASTORIBUS,
ac SYMYSТИS Vigilantissimis,
Meritissimis
VIRIS
Plurimum Reverendis, Excellentissimis
& Praclarissimis
Dominis Patronis, Fautoribus
& in Christo Patribus
perquam Honorandis &c.
Eiusdem Inclytæ Republicæ sedinenſis
SENATUI
DOMINIS CONSULIBUS
&
SENATORIBUS.
Dominis suis atq; Patronis aeternum
Devenerandis

Salutem Humillimam!

VIRI MAGNI NOMINIS

PATRONI SINGULARES

Beneficiorum Vestrorum decus atq; Benevolentia ornamenta er-
gam, me ita afficiunt ac sollicitant ut non nisi exhibito Virtutis
Gratia monumento, ut non nisi concinnato officit mucui, se ita lo-
qui fas est, simulaero ut non nisi generatis studiorum qualibus
tandem eumque fructibus tranquillari posuerim Sic frugis boni-
nibus usu venire assolet ut (ad modum aquae igni & flammis ra-
pientibus adurende invertende & absimenda, nunc denique
furore ignis subacto, & uicloris attenuata adpristinam redeun-
tis) ex pauperie tristi prodeant, & prostrati deutius & taciturni
sese ad laudes Virorum Generosorum Evergetarum Magnorum
decavandas præparent. Habebitis Mei Patroni Honoratissime
bie aliquas literarum mearum primitias, Vestris Meritis quidem
non respondentes, iisdem indignas, ceteroquin imperfectas &
super nulla ex parte laudabiles, nisi de solo forte cenatu, quas

A*r*

in Te*z*

in Tesseram Virtutis vobis Patroni suspiciendi commendo, quas
in spem diligentia mea referenda fero affero, quas in
expectationem promotionis, si ita Deus vobisque visum fuerit
infinuo & praesto. Evident virtutis natura & iudeles est, non
perfectionem proponere, quoniam Mortalibus haud licet, ast sed
integritatem animi & observantiam contestari, & cum regem vos
Fautores Eximi medullectus Patrocinium sanctum, facietis spe-
ro, ut quod deest rei mee literariae, abunde a vobis sumam & ca-
piam tum consiliis sappeditatis tum auxiliis collatus. Deinde
postquam per Vos factus, & omne quod sum, factus fuero, expectabo
Vestrurum nutum, quomodo & ubi me promotum volueritis. Hoc
largiamini mibi per liberaliter, Patroni magni, mirum in mo-
dum peto & rogo; & ut honor vester in emolumentum Patriae au-
geatur & Magistratus superstites suis non minus diu, quam for-
tunatae Deum ore semper, supplex Valete faveteque meo labori
perusti, & mibi

Vestrarum
Excellentiarum
Claritatum


Dabam Rostochi
15. Febr.
A. O. R. 1698.

Deditissimo servo,
JACOB FROREIF
Sed. Pom.

Disputationis nostrae de anima rationali

SECTIO Ima

An Principium intelligendi sit spiritualis substantia.



Uæstio hæc non minus necessaria quā utilis est de substantiâ & essentiâ humanae animæ, qvā explicabimus per ea præcata illi propriâ; in quibus aliorum vivensium materialium superat animas easq; perfectione suâ longè antecedit. Sciendum autem in primis est, mū humanianam esse & diei spiritualis substantiam; Atq; hoc est fundamentum reliquorū attributorum, per qvæ anima hominus à cæteris formis distinguitur. Tō substantia sumitur hic pro ut genericè accipitur, & abstrahit tām à substantia completa qvām incompleta, pro ut substantia ab Aristotele dividitur in materiam, formam, & compositum; Qvod verò anima sit substantia vel forma substantialis; patet vel ex hoc, qvia operationes vitales & præcipue intellectuales non possunt non radicari in aliquo principio substantiali, ut per se notum est. Præterea homo ut homo est una species substantiæ per se, qvæ componitur ex materia & forma; componitur autem ex formâ quæ sit principium intelligenti, ut tale est, adeoque tale principium in homine est substantia. Tō spiritualis est qvædam essentialis differentia substantiæ, qvæ in homine est principium intelligendi, opponiturq; per hoc substantiæ corporali, qvod Spiritualis dicatur quæ non est corporea, qvod ut clarius pateat.

Sciendum II. Substantiam corpoream duobus modis dici (1.) illa dicitur substantia corporea qvæ intrinsece constat ex materiâ physicâ capace quantitatis (2.) dicitur substantia corporea, quia in materia extenditur per quantitatem

A3

tatem

catem; Primo sensu non potest anima rationalis dici substantia corporea, quia tales substantiae solum sunt quæ componuntur ex materiâ physiciâ & actu; anima rationalis autem, quæ est principium intelligendi non est substantia corporea, sicuti sunt substantiae compositæ ex materiâ & formâ; ergo neque secundo sensu potest anima rationalis dici corporea substantia, quia secundo sensu dicitur substantia corporea, substantia simplex, capax extensionis partis extra partem secundum tres dimensiones quantitatis, qualis est vel materia ipsa vel v. g. forma lignio, sed e contrario illa dicetur substantia incorporea seu spiritualis, quæ in sua entitate partum extensionem nec habet, nec est illius capax. Verum hæc opinio multis non satis fecit ut aliqua forma substantialis sit spiritualis Existimant enim quidam, animam equi v.g. non habere extensionem & tamen non esse spiritualem, quia in suo fieri & esse pendet à materia. Id circò.

Sciendum III. per substantiam spiritualem illam intellegi, quæ neque constat ex materiâ, neque illi extenditur neque pendet ab illa in suo esse; Atque exinde duplex nascitur quæstio, Prima est: Utrum anima rationalis sit substantia iudivisibilis seu substantia carens partibus integrantibus

Altera est: Utrum anima sit independens, immortalis, &c. supponimus autem modo cum d'ivo Augustino, omnem illam substantiam verè esse in corpoream quæ nullo modo est capax effectus formalis quantitatis nec extensionis vel compositionis partium integrantium.

HIS DECLARATIS.

Dico: Anima rationalis est substantia spiritualis & in corpore a quod est contra Tertullianum qui eo erroris de lapsus est, ut non solum animam verum etiam ipsum Deum diceret corporeum, ut testatur divus Augustinus lib: de utilit: credendi; Tum contra Galenum & alios, qui dixerunt

runt: animam esse sanguinem eut temporamentum vel har-
moniam humorum;

Probatur I. Deo non fuit impossibile sacere substantiam
certam ex corpore & spiritu compositam, quæ pertineret ad
perfectionem universi, cujusmodi substantia est homo; Ergo
compositus est homo ex corpore & spiritu, corpus autem
est materia, ergo spiritus est anima. Atque ita homo est sub-
stantia spiritualis: Anteced: probat. Ex parte Dei non fuit
impossibile deesse potentia divinæ quæ est infinitæ virtutis;
ex parte talis creaturæ compositæ ex corpore & Spiritu
etiam nulla excogitari potest repugnantia, uti patebit in lo-
lutione objectionem, E.

Probatur II. materia est simplex entitas substantialis
& potentialis de se capax quorumcunque actuum substancialium
habentium naturalem aptitudinem ad informandam
materiam; Atqui talis actus potest quoque esse anima seu
substantia spiritualis & incorporem E.

Probatur III. Quidam actus sunt carentes potentialitate
materiae ita; ut sint in se omnino completi & naturaliter
incapaces ad informandam materiam ut angeli. Alii sunt acti
qui ita sunt ordinati ad actuandam materiam ut coextendan-
tur illi, neque in le possint naturaliter existere nisi sustenten-
tur à materia, Ergo dari potest actus substantialis medius, qui
possit actuare materiam, non tamen illi coextendi, neque ab illa
pendere, sed qui habeat subsistentem & indivisibilem in se en-
titatem, Eiusmodi est anima, quæ est substantia spiritualis
& intellectualis :

Probatur IV. Operatio animæ, ut est intelligendi prin-
cipium, & in se spiritualis, est substantia in corporea Ergo
etiam principium illius proximum, nempe potentia,
à quâ proxime elicetur operatio, est spiritualis. Ergo mul-
tò magis principium principale talis operationis, seu anima
rationalis est substantia spiritualis; Consequentia est evidens,

si qui-

Si quidem operatio non potest esse altioris ordinis, "quam
sit ipsa potentia operans, ratio est, qvia potentia specifica:
tur per actus, & actus habent suam dignitatem & excellen-
tiam à potentiâ. Secunda consequentia probatur: Illa po-
tentia vele est ipsamet anima, ut quidam docent, vel est res
distincta à substantia animæ. Atqui si est res distincta ab
ipsa anima, non potest esse nisi spiritualis & si est ipsamet
anima, hoc ipso est spiritualis, E.

Probatur minor, illa potentia manat ab animâ tan-
quam passio & proprietas ejus, ex supposito, quod sit di-
stincta ab anima. Atqui naturaliter non potest immaterialis
Proprietas manare & uriri, nisi à principio immateriali
Ergo, si est res distincta ab ipsa animâ & manans ab eadem,
non potest esse nisi spiritualis Præterea recipitur illa potentia
in ipsa anima & substantia tanquam in ipso suo iecto cuiinhæret
Ergo si est spiritualis requirit etiam subjectum spirituale Qua-
litas enim spiritualis & indivisibilis debet proportionari suo
subjecto; Id circa dicit Dionysius l. i de Cœlest Hierarch. c. ii.
Operatio sequitur potentiam, potentia naturam, potest que
ex operatione potentia & natura innescere Confirma-
tur (i.) Intellectus humanus est ultra latitudinem sensuum
omnium, dicitque potentiam superioris ordinis remotam ab
omni sensu, Ergo est potentia spiritualis, sicut intellectus an-
gelicus est spiritualis, propter universalitatē objecti, in quod
fertur. Antecedens probatur: objectum inadæquatum,
intellectus est ens, in quantum ens, est, & verum, sub qua-
ratione attingit intellectus omnia entia, tam corporalia
quam spiritualia creata & increata, in quantum habent ra-
tionem entis intelligibilis & veri; Atqui sic est intellectus
ultra latitudinem omnium sensuum; nullus enim sensus ha-
bet tam universale objectum, Et licet sensus sit cognoscitiva
potentia, tamen organica est, & materialis. Atqui ex hoc ipso
valde limitata potentia; ratione materiæ. Ergo Confirmat-
tur

tur (2.) ex Thoma part i. Qvæst. 14. Artic. 1. ubi dicit: Co-
gnoscentia à non cognoscentibus in hoc distingui, quod
non cognoscentia nil habeant nisi formam tantum, cognos-
cens autem est aptum habere formā etiam alterius rei, nam
species cogniti est in cognoscente; Unde manifestum est,
quod natura rei non cognoscentis, sit magis contracta & limi-
tata, & ut aliiloqui solent: Res non cognoscentes habent pro-
prias formas valde immersas materiæ, à qua limitatio,
& coarctatio provenit. Ergo illa amplitudo rei cog-
noscentis provenit ex aliqua abstractione à materia,
juxta unius cujusque motum & gradum, Ergo immate-
rialitas potentiae est ratio, quod potentia sit cognoscitiva,
Ergo quo fuerit plurium cognoscitiva & universaliorum
objecti cognoscibilis rationem attigerit, eò majorem immat-
erialitatem participabit; Ergo potentia cognoscitiva, quæ
est capax rerum omnium, uti est intellectus humanus &
qui adæquate respicit universalissimam rationem objecti
cognoscibilis, erit potentia simpliciter immaterialis & spi-
ritualis, independens in suo esse ab organo corpore, Ergo
& anima, à qua emanat ejusmodi potentia eiq; inhæret,
erit substantia spiritulis & incorporea.

SECTIO II.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Objicies I. Intellectus non potest verum ens conci-
pere nisi corporeum, Ergo non est potentia spiritalis in-
corporea, sed est potentia corporea, Ergo principium hujus
potentiae est corporeum. Resp. Nego antecedens, Intel-
lectus enim est talis potentia, quæ propter universalitatem
sui objecti ultra latitudinem omnium sensuum ascendit,
adeoque quam maximè immaterialis est & spiritualis. Prä-
terea intellectus removendo materialia venit in cognitio-
nem rerum spiritualium, cognoscitq; Deum esse ens verum,
quod non sit corporeum.

B

Obj

Objic. II. Rationes Tertulliani cap. 6. de anima,
quas à quibusdam antiquis Philosophis mutuavit, sunt.

(I.) Illud quod extrinsecus ab alio moveri potest, est
corpus; Atqui anima potest moveri ab alio extrinsecus, g.
quando vaticinatur aut quando fuit, Erg. anima est corpus.

(II.) Animam moveret ad motum corporis: Ergo est corpus

(III.) Ista anima movet corpus corporaliter & rece^{re}
dit alterato & mutato corpore: Erg. Resp. Ad PRIMAM
disting. Major: Illud quod extrinsecus ab alio moveri po-
test per motum intentio nalem est corpus, neg. major. Illud,
quod extrinsecus ab alio moveri potest per contactū Physi-
cū, est corpus conced. maj. distinguo minore: Anima potest
moveri per objectum intentionale seu per speciem Concedo
min: Per contactū Neg. min. & neg. cons. Anima incorporeā
unita corpori, potest ab intrinseco moveri, sicut spiritus an-
gelici possunt elicere operationes & anima sēparatæ possunt
moveri per locutionem, illuminationem, quæ omnia potius
arguunt immaterialitatem, quam quod anima sit corpo-
rea. Cæterum si de motu locali fit sermo, & non de mo-
tu intentionalī. Resp. Animam moveri ab extrinseco mo-
tore per accidens, ratione corporis, quod informat, Atqui
ita; sicut non repugnat, animam uniri corpori tanquam
veram formam; sic neque repugnabit, animam incorpo-
ream moveri ab extrinseco, si nempe corpus moveatur
quod anima informat. Ad SECUNDAM Respon. anima
moveret ad motum corporis per accidens & ratione Cor-
poris quod informat, Conced. Antec. anima moveret per
se & ratione sui corporaliter Neg. Antec. & neg. conseq. AD
TERTIAM Respon. Ipsa anima movet corpus corporaliter,
tanquam informans sensuum subjectum; Conced.
Tanquam corpus quodpiam movens aliud corpus neg.
Cæterum non est repugnans quod substantia spiritualis posit
movere corpus localiter, ut appareat insubstantiis angelicis

mo-

moventibus corpora assumpta, Ad alterum membrum quod spectat, quod anima alterato corpore & mutato recedat, Resp. Cum anima sit forma informans corpus, ad eam spectat, quod à Dispositionibus materiæ, quo ad corporis informationem dependeat, tanquam à conditione, & exinde sit, ut per alterationem corporis pellatur ex corpore anima, quia per alterationem dissolvitur necessarium corporis tempera mentum & consequenter unio animæ cum corpore.

Obj: III. Dependentia in operando à corpore, est indicium principii corporei: Atqui anima in operando est dependens à corpore Ergo est principium corporis, quod confirmat usus rationis in pueris, qui dependet à dispositione corporis, item per alterationem corporis amittitur usus rationis, uti contingit intanis, vel certe impeditur, uti fit in dormientibus, Erg: Respon: disti: Maj: Dependentia in operando à corpore est indicium principii corporei, dependentia dicens influxum ex causalitate organi corporei in ipsum ratiocinandi actum. Conc. Maj: dependentia ab inferiori potentia ministrante & quasi propONENTE objectum Neg. Maj: disting: etiam Min: Anima in operando est dependens à corpore tanquam ab organo vel instrumento intelligendi s. ratio cinandi Neg. Min. est dependens à corpore tanquam ab inferiori potentia, ministrante & quasi proponente objectum, Conc. Minor & neg. conseq. Hæc dependentia animæ à corpore non oritur à causalitate organi corporei, sed potius secundum quandam concomitantiam, quæ ex radicatione in eadem anima corpori unita oritur.

Obj: IV. Si animæ est spiritualis & immaterialis tunc etiam deberet habere dominium propriarum actionum & deberet posse pro suo arbitrio diversa & opposita

Bz

operari

operari, Atqui hoc non potest, Erg: anima non est spiritua-
lis, & immaterialis Rsp. Conced. Maj. & Neg. minor Hoe
enim dominum habet anima humana per voluntatem
suam adeoque signum est, illam esse potentiam spiritua-
lem non organicam, multoq; magis ipsam animam, quæ
est principalis radix suorum actuum, esse Spiritualem &
immaterialem. Præterea nullum agens creatum, sive
cœlum sive angelus potest necessitatem inferre volunta-
tati humanæ, si ratio vigilet & sensus interni non pertur-
bentur; Ergo signum est illam non esse materialem sed im-
materialem; Ratio est, quia omnis materialis virtus hujus
inferioris mundi est subiecta exteriori mutationi etiam
violentæ externorum agentium, nempe cœlorum, nimi-
rum applicando activa passivis, Ergo voluntas & tanto
magis, anima, quæ ab hoc influxu immunis est non est
materialis neq; dependens à materia.

Obj. V. Omne recipiens debet esse denudatum
à naturâ recepti Atqni intellectus recipit in se, quod intel-
ligit Ergo debet esse denundatus ab omni materia, quam
intelligit; sed potest intelligere omnem rem spiritualem
Ergo debet esse denundatus ab ipsâ spiritualitate, Ergo nec
est intellectus potentia spiritualis, nec principium intelli-
gendi poterit esse substantia spiritualis Confirmatur, In-
tellectus potest intelligere omne intelligibile Ergo debet
esse denundatus à natura entis intelligibilis Erg: nec est
ipse intelligibilis neq; Spiritualis, Resp. cum communi expli-
cando Majorem: Recipiens debet esse denudatum à naturâ
recepti, respectu potentiarum materialium & corporearū
Conc. Maj. respectu potentiarum spiritualium Nego ma-
jor. Neg. Minor. & Neg. Conseq. Supsumptum concedo
& rursus nego Conseq. cū illatione; Confirmationis conced.
Antec. vel claritatis majoris causa, disting. anteced. Intel-
lectus

lectus potest intelligere omne intelligibile directè vel reflexè. Conc: antec. Tantum directè; Neg. antec & Neg. Conseq. cum illatione. Potentiae spirituales recipientes species objectorum intentionaliter existentes, non sunt denundatae à naturâ, hoc sensu, recepti, quod nihil habeant recepti, sed bene hoc tensu quod entitas potentiarum spirituum non constituantur per objectum receptum, sed est prius, quam species recipientur; potentiae autem non cognoscitivæ & pure materiales sunt denundatae à naturâ recepti, ita ut neque habeant rei receptæ specimen intentionalem.

Obj. VI. Debet esse aliqua differentia inter facultatem & potentiam Corpoream & inter potentiam Spiritualem. Atquinulla est, Ergo non potest dici, quod intellectus sit facultas Spiritualis; Probatnr minor, Si esset aliqua differentia, esset hæc, quod intellectus universalius operetur & ad plura se extendat. Atqui idem habet materialis potentia cogitativa seu Phantasia, quia nullum est corpus, quod cognitionem sensus interioris subterfugiat, imo componendo species rerum sensibilium, potest sensus communis plura corpora cogitare quam expertus fuerit. Ergo habet eandem univeralitatem Resp. Conced. Maj. Neg. Min. probationis distin. Maj. si esset aliqua differentia, esset hæc, quod intellectus universalius operetur, modo perfectissimo cognoscendi & penetrandi seu discurrendi circa rem cognitam. Conc. Maj. Quod universalius operetur quoconque modo imperfecto, sicut operatus Phantasia & sensus coumuni Neg. Maj. & Neg. Min. Magna intercedit diversitas inter potentiam cogitativam & Phantasiam, quæ de se ipsâ non cogitat per peculiarem actum, quo se ipsam cognoscat; & inter potentiam intellectivam, qvæ reflectit super se ipsam. Specialis ratio potest sumi ad probandum, intellectum esse Spiritualem, quia reflectit supra se ipsum, intelligendo se, sicut enim

corpus non potest movere seipsum primo & secundum eandem partem ; sic potentia corporea non potest supra seipsam reflectere, cognoscendo seipsam, adeoque quo major & nobilior fuerit ista reflexio, hoc magis competit potentiae spirituali. Porro intellectus non solum supra seipsum sed etiam supra suum actum reflectit & cognoscit, se cognoscere, & quanta certitudine vel claritate cognoverit & quid sit ipsa cognitio, requirit, adeoque nemo negaverit, intellectum esse potentiam spiritualem emanantem ab anima seu principio Spirituali. His prænotatis transimus ad Themat.

DE
IMMORTALITATE ANIMÆ.
SECTIO: III.

An Principium intelligendi hominis seu anima humana sit immortalis & incorruptibilis ?

Immortalitatem animæ humanæ impugnavit subinde Arabi corum Secta, à Divo Augustino dicta lib: de hæresibus, In 38. Hæresi quæ hæresis tradidit animam hominis cum corpore extingui, licet in fine seculi simul eum corpore producenda sit. Hujus erroris autorem fuisse quendam Arabem testatur Isidorus lib: Dognat: c. 15, unde quoque dicta videtur Hæres. Arabic. Refutare hujus sectæ errores autoritate sacræ scripturæ nolim præsumere Philosophus , in præsenti solum ratione demonstrabo animæ immortalitatem & corruptibilitatem.

Dico itaq; Principium intelligendi in nobis est incorporeum & spirituale , uti sect. i. demonstratum est Erg. est natura sua incorruptibile & immortale Erg: anima hominis est incorruptibilis & immortalis. Probatur Conseq. Qvod est simplex, non pt. esse natura sua mortale, Atqui anima est natura sua simplex incorporea

& in

& indivisibilis, tam in partes, essentiales, quam integrales. Ergo est anima naturâ suâ immortalis. Probatur Maj. Corruptio seu mors fit per dissolutionem & separationem unius ab alio. Ergo supponit compositionem, cum nihil separetur à se ipso. Præterea res simplex & indivisibilis non potest ita desinere, ut aliquid illius rei maneat, cum sit indivisibilis & vel tota ex isticum vel tota in nihilum abeat. Ergo non potest desinere per corruptionem vel mortem, siquidem quod moritur, corumpitur, non annihilatur, sed manet aliquid illius. Ergo anima non potest corrumpi, verum est incorruptibilis & immortalis. Confirmatur I. Ex Gregorio Nysseno dicente: quomodo dissolvi posset quod non est compositum? Atqui anima non est composita sed simplex entitas. Ergo non potest dissolvi aut corrumpi. Confirmatur II. Anima est intelligens. Ergo est immortalis & incorruptibilis. Probatur Conseq. Per intellectuionem ostenditur anima maxime Deo similis in operatione. Ergo & in substantia, sed substantia Dei per se ipsum est maxime immortalis. Ergo anima in substantia sua est immortalis. Notandum quod hæc tota ratio supponat, non posse animam naturaliter desinere per anni hila-
tionem, ejusmodi enim modus desitionis non est rebus connaturalis cum non sit per potentiam intrinsecam, sed per solam liberam Creatoris voluntatem, ideoque talis possibilitas non opponitur intrinsecæ immortalitati. Nos vero hic agimus de immortalitate & incorruptibili-
tate intrinseca, quod magis elucescit ex solutione ob-
jectionum.

SECTIO. IV. solvuntur Objectiones

Obj. I. licet hæc ratio probet, animam non posse mori, tanquam proprium & primarium, atque adæqua-
tum terminum corruptionis, simpliciter tamen non pro-
bat animam esse immortalem. Ergo Nihil est probatum.

Probatur

Probatur Antec. Etiam anima equi non potest illo modo corrumphi, quia etiam in se est simplex, saltem quoad compositionem ex partibus essentialibus, quæ ad propriam corruptionem necessariæ sunt; Atqui anima equi simpliciter est mortal is, cum possit condesinere ad mortem totius compositioni & non annihiletur sed corrumpatur, siquidem non primario & quasi per se definit, sed ad corruptionem compositi Ergo etiam anima hominis dicetur mortal is & corruptibilis. Resp. Neg. antec. Probat. Neg. maj. Nos enim loquimur hic non de quacunque re simplici, sed de substantiâ spirituali in corporeâ, quæ simplex, est tum quoad compositionem ex partibus essentialibus, tum quoad compositionem ex partibus integrantibus adeoqae indivisibilis est; anima ut neque corrumpi naturaliter ab in trinseco possit, neq; con corrumpi.

Objic. II. Si anima rationalis esset incorruptibilis, ideo esset, quia est per se subsistens. Atqui hæc ratio, non probat, animam non esse corruptibilem, si non per se, saltem per accidens. Erg. Resp. Conced. Maj. Neg. Min. Declaramus incorruptibilitatem animæ rationalis, quia est subsistens, sequenti argumento: Forma subsistens nec potest corrumpi per se, neq; per accidens seu corrumpi ad corruptionem alterius; Quod non possit corrumpi per se, probatur inde, quia nulla res subsistens, quæ est forma simplex, est per se corruptibilis: Non potest enim corrumpi per se, nisi possit suo esse privari, à forma à subsistente non potest separari ipsum esse Erg. non potest suo esse privarii Erg. nec corrumpi; sed neq; potest corrumpi per accidens, quia res subsistens non potest per accidens generari, cum habeat esse per se & non per generationem Erg: non potest per accidens corrumpi, Ita enim est unum quodque capax fieri, sicut est capax esse Erg. quod per se est, per se etiam

etiam sit. Et similiter si corruptibile sit, per se corrumpitur, & non per accidens, Ergo Anima rationalis cum sit subsistens per accidens non corrumpitur.

Notandum interem, animam rationalem subsistensem, esse, dupliciter posse intelligi (1.) Respectu animæ corpori conjunctæ. (2.) Respectu animæ à corpore separata; hoc secundo sensu, si anima supponitur à corpore separata subsistere, hoc ipso supponitur immortalis, *quæstio vero potissimum est de anima conjuncta corpori.*

Dupliciter potest dici anima conjuncta corpori, esse subsistens, actu vel potentia seu aptitudine; an sit actu subsistens, multum disputatur; Potentia autem nihil aliud significat, quam quod sit apta ad subsistendum seu existendum sine unione ad corpus & separata. Et hoc sensu animam esse subsistentem, idem est, ac esse immateriale, seu independentem à materia, & incorpoream nihil est aliud, quam esse immateriale, non tam quo ad compositionem ex materia, aut quoad capacitatem seu extensionem quantitatis, sed etiam quoad dependentiam à materia, quod est esse subsistentem saltem aptitudine.

Obj. III. Non potest demonstrari à priori, quando homo moritur, quod non commoriatur seu corrumpatur per accidens, per mortem hominis, ipsa anima Erg: Resp. Neg. Antec. Ratio est quia ex vi talis corruptionis tantum separatur anima à materia. Atqui hæc separatio non est insufficiens causa desitionis ipsius animæ, quoad proprium esse animæ, cum in illo esse non pendeat a materia. Erg. ex hoc colligitur, animam naturaliter posse existere separatam à materia absque miraculo vel speciali dono Dei. cum solo in fluxu ordinario & debito, ex vi communis providentiæ causæ primæ, ratio est, quia sine concursu materiæ anima habet, quicquid ex parte sua necessarium est ad existendum, & ab aliis causis secundis non pendet. Ergo licet

C

cat

cet, à materia s̄aparetur, nihilominus per ordinarium in-
fluxum causæ Primæ conservabitur in suo esse.

Obj. IV. Posset dici, quod anima rationalis non
intereat quidem statim per mortem hominis, postea tamen
tandem suum esse perdat, sicut & animæ viventium & sen-
sitivorum Ergo non probatur, quod anima sit immortalis
& incorruptibilis Resp. Neg. antec. Anima rationalis enim
non est Divisibilis, sicut forma materialis, sed est substantia
simplici, adeoque nec potest dici quod sic intereat, sicut
formæ materiales.

Notandum rursus: Desitionem dupliciter sumi
posse (1) pro desitione per actionem alicujus agentis cor-
ruptivi ; (2.) pro desitione per solam abstractionem influ-
xus conservantis. Hic secundus modus desitionis est an-
nihilatio, de qua hic non agimus, neque contingit ejusmo-
di desitio creaturæ naturaliter, sed potius præternaturali-
ter per liberam Dei voluntatem; Unde per hanc non pro-
batur anima corruptibilis, sed annihilabilis, quod est præ-
ter, statum quæstionis; si vero corruptio sumatur pro de-
sitione vel per actionem alicujus agentis corruptentis,
constat, animam rationalem, ut pote simplicem substanti-
am & indivisibilem, non esse corruptibilem; quod proba-
tur. Corruptio fit per separationem ab esse. Atqui per
actionem contrarii agentis non potest separari esse à for-
ma, simplici subsistente, seu ab anima rationali, cum exi-
stentia non distinguatur ab essentiâ Erg. Major. est certa. Mi-
nor probatur: Impossibile est, esse separari à forma, non
destructa formâ, cum idem non possit s̄eparari à se ipso Er-
go non potest separari esse à tali forma, nempe ab anima ra-
tionali, nisi annihilando illam Ergo nec potest amittere esse
per actionem contrarii agentis, quia annihilatio non potest
fieri per actionem positivam sed per carentiam actionis
conser-

conservativæ Ergo necesse est animam rationalem esse incorruptibilem, cum non possit desinere, nisi per annihilationem
Confirm: Actio contrarii agentis non auffert unum esse, nisi inducendo aliud, quia omnis actio habet terminum positivum, ad quem tendit, nec agens dat esse nisi efficiendo formam, à qua formaliter sit esse, Ergo ut contrarium agens possit animam rationalem corrumpere, deberet in ipsa anima rationali inducere formam, quæ daret esse contrarium ipsi animæ seu existentiæ illius; supponimus enim per corruptionem aliquid animæ destrui, hoc autem est impossibile, ut talis actio recipiatur in ipsa anima, si enim recipetur in ipsa anima, tum supponeret existentiam animæ Ergo non expelleret existentiam animæ, Ergo nec anima corrumpetur, siquidem corruptio proprie sumpta solum habet locum in re composita.

Obj. V. Formæ subsistentes non habent existere à se nec essentialiter Ergo sunt corruptibles Ergo anima est corruptibilis Resp. concedo antecedens, disting. consequens, sunt corruptibles per annihilationem: Conced. conseq. sunt corruptibles per actionem corruptivam agentis contrarii, Neg. consequiam. Hæc objectio nihil aliud evincit, quam quod formæ per se subsistentes desinere possint per annihilationem non autem corrumphi, quia hoc repugnat earum simplicitati; Non possunt enim separari à sua existentia, remanente in rerum natura, earum essentia, quia hoc simileiter repugnat propter identitatem.

Obj. VI. Si anima esset incorruptibilis, esset corruptibilis sicuti cœli sunt incorruptibles Atqui neque hoc modo anima est incorruptibilis Ergo dici debet quod sit corruptibilis: Min. probatur ideo cœli sunt incorruptibles, quia non possunt pati ab agente contrario, cum sine contrarietate non sit generatio & corruptio; Atqui anima

anima recipit formas contrarias, earumque species frigoris scilicet & caloris, albi & nigri &c. Erg. Resp. Neg. maiorem: Anima ut pote est substantia simplex & non composita, multò magis est incorruptibilis, quam cæli, qui constant ex materia & forma. Probationis. conced. Maj. disting. Min. anima recipit formas contrarias sine contrarietate & in esse intentionalí Conced. Min. cum contrarietate & in esse naturali Neg. Min. & Neg. consequentiam In esse intentionalí rationes contrariorum, non sunt contrariæ, sed est una scientia contrariorum

Ob jie. Ultim. Nullum habetur indicium animæ immortalitatis in homine Ergo non potest anima rationalis dici incorruptibilis & immortalis Resp. Neg. antec. Sufficientia enim indicia immortalitatis declarata sunt, tum ex operationibus intellectus speculatorivi, quæ operationes immaterialitatem & consequenter immortalitatem evidenter indicant; tum etiam ex actibus intellectus practici, præfertim in remorsu conscientiae & in dictamine oportandi honeste, contra rebellionem corporis, illud castigando & morti exponendo, si opus sit. Præterea ex actibus voluntatis, quæ voluntas non quiescit, nisi in Deo, quod in hac vita perfectè esse qui non potest Ergo e contra nullum habetur indicium mortalitatis animæ; hoc autem quod sit forma corporis, non infertur, esse corporea & mortalís, nam non repugnat, Spiritualem substantiam simplicem uniri corpori, ut formam Ergo.

Qværes I. Quid Aristoteles senserit de immortalitate animæ rationalis? Existimant plures, Aristotelem, quantumvis summo fuerit ingenio, nec pertigisse tamen acumine suo ad immortalitatem animæ. Alii contra dubitant, verisimile videri, illum, qui de felicitate & honestate humana, tam præclare sensit, animæ immortalitatem ignorasse

ignorasse. Nos referimus, mentem Aristotelis, paucisque insinuamus. Posteaquam Aristoteles Libi (1.) de generat animal cap. (3.) dixisset: Animas cæterorum animantium non posse extrinsecus advenire, nec sine corpore existere quia omnis earum operatio corporalis est, adjungit sequentia; Restat igitur, ait, ut sola mens extrinsecus accedat, eoq; sola divina sit, nihil enim cum ejus actione, communne habet actio corporalis. Ex quibus verbis manifestum sit; Aristotelem significasse, mentem seu animam rationalem non educi ex materia, sed extrinsecus advenire, an per creationem an alio modo? non explicuit.

Qværes II. An anima rationalis in homine sit vera forma substantialis corporis, per se substantialiterque illi unita ad naturam substantialiem componendam; An vero sit tantum lato modo anima assistens & movens, eo modo quo aquæ movent navim? Resp. Principium intelligendi, quo homo principaliter intelligit & quod est proprium principium & subiectum intellectivæ potentiae humanae, esse veram substantialiem & essentialiem corporis humani formā, tam secundū fidem, quam rationē & demonstrationē naturalem, Aristoteli & non paucis Philosophis aliis notam, est. Ego brevissimam insinuo rationem. Necesse est hominem constitui insubstantiali essentia hominis, per aliquam substantialiem formam, ipsi propriam & à formis brutorum distingtam. Atqui illa forma est anima rationalis, cum neque constitui neq; distingui possit homo per sola accidentia.

SECTIO: V.

An sola Anima Rationalis sit indivisibilis?

Animas, quæ tantum vegetales sunt, esse extensas & divisibiles jam antecedentibus probatum est, ad mentem Aristotelis qui ait lib. de Juvent. & Senect. cap. i. Plan-

C 3

tavum

tarum animam, & quorundam etiam animalium, actu
quidem unam esse, potestate vero plures, ut pote quae secta
vivunt, uti patet in vite, ubi utraqve pars divisa vivit &
nutritur, adeoque pars animæ remansit in partibus divi-
sis. Præsenti sectione agemus de indivisibilitate Animæ
Rationalis. Dico: Anima hominis est indivisibilis, probatur
ex ratione (1.) Anima hominis est Spiritualis, uti alias pro-
batum est Ergo est substantia simplex & indivisibilis. Pro-
batur Conseq. Divisio provenit ab aliqua materiâ, Atqui
substantia spiritualis nullam dicit materiam Ergo est sim-
plex & indivisibilis. Probatur (2.) si anima hominis esset
divisibilis, tum pars animæ esset in parte, & absissa parte
v. g. manu, abscinderetur pars animæ, Atqui hoc dici ne-
quit Ergo Probatur Min. illa pars absissa vel corrumpe-
retur vel maneret, Atqui neutrum dici potest. Non pri-
mum, quod corrumperetur anima, uti sectione præ-
cedente demonstratum est. Non Secundum, quod mane-
at illa pars animæ; ubi enim, obsecro, maneret & si, ma-
neret; an haberet intellectum, possetq; discurrere, adeoq;
intellectus quoque esset divisibilis, haberenturque plures
intellectus partiales in anima hominis, si vero maneret sine
intellectu, quomodo dici posset anima hominis? Proba-
(3) Si anima hominis esset divisibilis, esset mortalis, Atqui de
fide est animæ immortalitas, tantiq; prætii, ut minus pro-
fit, universum mundum lucrari Ergo Probet Min. Illud est
mortale, quod corruptibile, ita, ut possit pars a parte sepa-
rari Atqui sic anima hominis esset divisibilis & separabilis,
Ergo esset mortalis, quod dici nequit. Confirmatur (1.)
animæ sentitivæ brutorum ideo sunt divisibiles, quia edu-
cuntur de potentia materiæ & causantur materialiter à
materia! Atqui anima hominis non causatur materialiter
à materiâ, neque ab aliquâ parte materiæ Ergo est indivi-
sibilis

fibilis. Confirmatur (2.) In homine, cui v. g. manus abscinditur & comburitur, si est anima divisibilis, vel illa pars animæ unita prius, retro cedit ad alias partes materiæ informandas, quando abscinditur, manus, vel manet separata. Atqui neutrum sustineri potest Ergo Non quod retrocedat, quia reliquæ partes jam sunt informatæ, adeoq; regrediens foret superflua. Neque etiam manet separata, quia in materiam manus combustæ inducitur alia forma Ergo dñci debet animam hominis esse indivisibilem.

Obj. I. Cæteræ animæ, nimirum vegetativa & sensitiva sunt Divisibiles Ergo etiam anima rationalis est divisibilis, Probatur conseq. Ideo cæteræ animæ sunt divisibiles, quia sunt actus informantes materiam, & ordinati ad informandam materiam. Atqui anima rationalis est quoq; actus informans materiā, & ordinatus adinformandā materiam Ergo Resp. Neg. antec. & neg. conseq. Probatio: disting: Maj. ideo cæteræ animæ sunt divisibiles, quia sunt actus informantes materiam, actus materiales, dependentes qvo ad suum esse à materia, conced: Maj. quia simpliciter sunt actus informantes materiam Neg. Maj. Conced. Minor & Neg. Conseq. Anima hominis est substantia Spiritualis non dependens quoad suum esse à materia, inde neque quoad suas operationes perfectissimas, volitionis, nempe & intellectiones pendet à materia, cæteræ autem formæ tam quoad esse, quam operari, sunt dependentes à materia, quæ materiâ respectu formarum materialium non solum est subjectum informationis, sed etiam subjectum sustentationis.

Obj. II. & Ultim: si anima esset indivisibilis tum anima quoad substantiam non esset in singulis partibus corporis. Atqui deberet esse in singulis partibus Ergo est divisibilis. Probatur Maj: anima in cerebro residens, non est in reliquis partibus, quod exinde patet, siquidem in

iiis

iis, quorum meninges læsæ sunt, perturbatur facultas ra-
tiocinandi quod indicium est, ibi intellectum, ipsamque ani-
mam residere Ergo Resp. Neg. Maj. Probati: iterum Neg.
Maj. Anima enim non ita residet in cerebro, ut cæteras par-
tes non informet sed potentia & functiones animæ, pecu-
liari modo quibusdam partibus insunt, uti capiti quoad
sensus externos, visum, auditum, &c: qui omnes in capite
sunt, solus tactus per omnia corporis membra permeat;
similiter sensus internos, qui in capite resident; Quod vero
judicium perturbetur, quando meninges læsæ sunt hoc non
provenit ex eo, quod anima soli cerebro insit, sed quod ad
intellectiones utatur præviâ Phantasia, species rerum sup-
peditante, unde si Phantasia perturbata fuerit,
non potest anima rite fungi officio
ratiocinandi.

Propitius faxit, tibimet bene cedat JOVA,
Quod docta lingua, ponere sumis opus;
Ut tua quoq; die doctrina augmenta capessat,
Fautorumq; Tuum numerus esse velit.

Ita Vovet
J. N. QVISTORP. D.
p. t. Acad. Rect.

Florentissimo Dno. Respondenti .
Est proprium Mēntis , nullo damnarier ævo
Ulio nec claudi temporis articulo.
Hoc Tibi , FROREIFI , dictis ostendere curæ est
Atque argumentis consolidare suis.
Maete animo! Nam dum sic immortalia curas,
Ipse immortali laude coruscus eris.

Ex benevolentissimo affectu ominatur
JO. FECHT. D.P.P. Cons. Duc. Adl. &
Distr. Rost. Superint,

Mit man ein schlechtes Wört von Hand und Herzen sehn
Das bey verfeckter Zeit von keiner Schmiede weß;
So soll ein reiner Wunsch mit Euch zum Himmel gehen
Nach dem mit ehren blüh der grüne Ehren-Preis:
Gott lasse Euren Kühn mit Bucher sich v. rnehren
Dann der Nierhadt sel'st die Tugend nüsse ehren.
Dieses eilende doch herlich gemeinte hat zu Gesälligkeit d. Hn. Disputanten
als seinen diesgenigten Söhnen und Freunde schuldigster massen
bey tragen müssen dero ergebenster.

M. JOHANNES JOACH. Weidener.

HAnc spem, Chare Tui primus conspectus Amice,
Fecit Amicitia, quam celebrare juvat
Jam cano praelatos, quos heu Tibi sumis honores,
Et quæ Castaliae nectere ferta solent.
Dicam fausta Tuæ fœcundæ examina Musæ,
In queis cum summâ fistere laude paras.
Prædico multiplicem, quem sentit Patria, fructum
Ex hoc transacto munere rite Tuo.
Grator, quod Patriæ Tibi sint servata brabea
Quod Fautorque optet lat memor esse Tui.
Jam rogo, quo pergas mecum connectere laurum
Dulcis amicitia, quam bona dona puto.

Nobilissimo ac Præstaniissimo Dn. Respondenti Amico
suo sincere Colendo, in fidem amicitiae bæc addit
Disputationis PRÆSES.

Conspicuum miror, quo Par, calefactus es, ignem,
Ignem, quem sequitur gloria magna Dei
Virtutis miror, valide quo impellere motum
Motum, quem generat Numinis alma manus.
Ecce animum, ingentem, generosum miror & ausum,
Ausum namque virum sors juvat ipsa suum,
Insigne admiror quod vis Patriæ addere pondus
Pondus, quod dignum Patria Chara capit,
Te porrò admirans Tua clara exempla tenebo,
Virtutisque Tuæ Cultor amicus ero.

Hæc pauca offerre volui, Laudatissimo Dn. Respondenti
Amico & Fatori suo Dilectissimo
DANIEL STENGER, March,

Dum divinam animam, qut sit post fata faverit,
Differis ex Cathedra dñcis Amice sacra;
Primicias simul PATRIÆ offers PATRIBUS almae,
Conestans animi debita signa piti;
Exigit officium laudes ut carmine dicam,
Quas meruit specimen quod medo docta sagit.
At non quare mis in verbis nominadigna,
Quin potius votum consule, quaso, boni;
Opto, percipient be quem meruere favorem
Carte, quas iphas docta Minerva probat;
MATURINE iuos ornat matura labores
Gloria maturos! Nomen & omen habet.

Paucis hisce scite minus quam debito Nob.Dn. Respondenti
de edito eruditionis specimine gratulari voluit
JONAS. JOHANNES PHRAGMENIUS, Riga-Livonus.


Cingite Pierides Froreissi tempora lauro,
Qua juga Parnassi condecorata virent;
Dum Respondentum cathedram descendere nisus
Publica Doctrina dat documenta suæ.
Annuat his cæptis Clementis Gratia Cæli,
Illaque successu prospiore beet;
Hinc utlata meo nascatur adorea Amico,
Quæ Phæbi gnatis prompta subinde manet.


Ita Clariss. Dn. Respondenti de laudatissima quam suc-
cepit, pars à congratulari voluit debuisse que
HEINRICH SPLITH, S. S. Theol. Stud.

Lubrica quæ quondam monstravit dogmata, turma,
Qui fuit ex omni cœca libido bonum;
Nescia dum fati nostræ spiracula vitæ
Edocuit nigram mortis adire viam;
Tumihi Theseo plusquam qui pectore junctus,
Hocce labore tuo rejicienda doces
Gratulor his cæptis celsi moderator Olympi-
Aspiret studiis prospera quæque tuis
Porroq; Pieridum ceu nunc libato cohorti
Sic laus ingenii, perge perennis erit.

Lineis hisce Praclarè Docto DN. Respondentis familiari suo,
licet haud prolixis, prolixum tamen sincer. Cordia
Et amoris affectum exhibere sat agit.

CH. FRID. TEICHMANNUS, LL. dr. Gurau: Sil;





atur (2.) In homine, cui v. g. manus abscinditur, si est anima divisibilis, vel illa pars prius, retro cedit ad alias partes materiae quando abscinditur, manus, vel manet separatum sustineri potest Ergo Non quod reliquæ partes jam sunt informatæ, adeoq; superflua. Neque etiam manet separari manus combustæ inducitur alia forebet animam hominis esse indivisibilem. Cæteræ animæ, nimirum vegetativa & Divisibles Ergo etiam anima rationalis Probatur conseq. Ideo cæteræ animæ sunt ita sunt actus informantes materiam, & ordinandam materiam. Atqui anima rationalis est formans materiam, & ordinatus ad informandam Resp. Neg. antec. & neg. conseq. Probatio: dicat cæteræ animæ sunt divisibles, quia sunt actes materiam, actus materiales, dependentes se à materia, conced: Maj. quia simpliciter mantes materiam Neg. Maj. Conced. Minor I. Anima hominis est substantia Spiritualis quoad suum esse à materia, inde neque generationes perfectissimas, volitionis, nempe pendet à materia, cæteræ autem formæ tam in operari, sunt dependentes à materia, quæ uniformarum materialium non solum est substantia, sed etiam substantia sustentationis.

Ultim: si anima esset indivisibilis tum tantiam non esset in singulis partibus cordeberet esse in singulis partibus Ergo est probatur Maj: anima in cerebro residens, non in partibus, quod exinde patet, siquidem in iis

Image Engineering Scan Reference Chart TE23 Serial No.